

conquisitione, mandatis nūtibus que libentissimè obtemperare.

535 Id circo, Vallisoleti in cœtum evocare iussit Viros divini humanique juris doctissimos, ut gravissimis undique ventilatis rebus atque discussis, quo opus esset remedio ipsi docerent, Cæsarque, ut in votis habebat, longissimè disitis & innumeris subjectis sibi Populis ac Nationibus subveniret atque consulere. Evocatos inter Doctores adfuit Joannes Genesius Sepulveda Cordubensis, Theologus, & Cæsari à Chronicis, vir ab eruditione, doctrinâ, & eloquentiâ maximi habitus, Antagonistæ Nostri partes acturus, qui quamvis extra rationis orbitam à sœvis non paucis Hispanis nullus ipse decurrentia excusaret iniquè gesta; duriuscula tamen emollire aggressus & propugnare viva tunc voce, deinceps etiam scriptis datis, repulsam jure passus est, Nostro ex adverso illum Libris etiam & verbis quatiente, iterumque atque iterum arietante Theoremata æquitati & humanitati non admodum consentanea. Vicissè tandem obtinuisseque Nostrium causam, argumento sunt, præter alia, & editæ anno 1543 sanctissimæ Leges (quarum Author haberi debet Casas, ut Nicolaus Antonius scribit, quasque mox cū alijs Americæ regiminis negotiorum attinentibus, compaginatas Mexici edidit D. Vascus de Puga) & Genesij Sepulveda Liber de iustis

belli causis contra Indos suscepti, ab Hispano suppressus Consilio, postquam, negatâ illum typis eudendi facultate, Romanis furtivè typis prodierat: itemque D. Bartholomæi Frias de Albornoz Opus non absimilis argumenti à Quæstoribus Fidei Mexicanis proscriptum, uti monet Padilla Davila, nosque in loco dicemus.

536 Ovans, nec tam sibi lætus, quam Indis, quorum patrocinium susceperat, proximè erat in Americam ut regrederetur anno 1544 cum ad insulas Ecclesiæ del Cusco destinatur à Rege, queis tamen subductus, ad Chiapensem nostram dimittitur. Et verò honorem hunc pariter recusantem, eo tantum nomine Pinciani Sodales ut admitteret compulserit, quòd Episcopali insignis dignitate, auxilio longè facilius atque potentius suis cæterisque Indis futurus esset. Ea de causa anno eodem Dominica Passionis Hispali in majori Basilica publicè inauguratus, sequenti Julio navem conscendit, Missionarios secum Ordinis sui in Americam deferens, in quam demum appulsus, nec nulla perperus ab his qui ipsorum obtinuisse cupidi, refracturumque etiamnum noverant; Ecclesiæ suæ sistitur anno 1547. Hic dius pernoxque & commissos sibi & cæteros Indos volvens cogitatione, omnium ut auspiciatus provideret incolumitati, atque adversantibus op-

portunius occurreret, Ecclesiæ abdicari suæ, bona cum Romani Pontificis venia, ad obitumque usque Vallisoleti Hispaniarum apud S. Gregorij Collegium subsistere, decrevit quidem, & exequutus est anno 1551. Et ibi quidem annos quindecim ad extremum usque diem suum commoratus ita est, ut Indorum negotijs eximiâ deditus charitate tractandis, animæ item suæ & Dei gloriæ, queis nil habuerat antiquius, totus invigilaret, orationi diu incumbens, cæterisque christianis virtutibus, quas in longissimè traductâ ætate sanctè coluerat. Ergo 92 annos natus, circa finem Julij 1566 ad optatam, ut par est credere, gloriam, post tot exantlatos labores migravit.

Scripta ejus, quæ plurima sunt, & è queis exteri Hispanos criminandi fugillandique occasionem passim arripiunt; ante quam recenteamus, operæ pretium duximus, illustrium è nostris Criticorum sensus monitaque præmittere, Gallorum post ab eruditione juxta & crisi commendatorum, testimonium subnectere, & coronidis instar argumento huic apponere exteri Authoris notissimi fragmenta aliquot P. Thomæ Bozj Eugubini, è Congregatione Oratorij, de Romana Catholica Ecclesia præclare meriti Libris de *Signis Ecclesiæ Dei* ab Eruditis plurimi habitis, nec sanctitate vitæ minus conspicui, Sancto Philippo Ncrio perchari,

cujus acta Thomæ jam diu legimus in Monumentis Historicis dictæ Congregationis à P. Joanne Marciano Neapoli editis, voluminibus quinque in fol. Principio quidem, vir Clarissimus atque in paucis doctissimus unâ & amœnissimus M. F. Michael à S. Joseph Excalceatorum SS. Trinitatis in Hispania Generalis Superior, volumine 3 Bibliographiæ criticæ sacræ & prophanæ pag. 114 articulo *Joannes Michael Pius Italus Sacri Ordin. Prædicat.* hæc paulo post initium habet. *Securissimè quoque edidit anno 1618 Vitam Bartholomæi de las Casas, sive Casaus, Chiapensis in Novo Orbe Episcopi, de quo ab exteris Scriptoribus multa passim jactantur, neque verâ, neque vero similia. Eorum falsitatem & jam pridem Nicolaus Antonius, & alij post illum detexerunt. Videri potest Epitome Bibliothecæ Occidentalis Titulo 1. à pag. 566 ubi plura cumulantur circa genuina præfati Bartholomæi scripta, & alia ipsi falso supposita, atque in odium Hispanorum invidiosè conficta. Hæc ille. Nicolaus verò Antonius in Bibliotheca Hispaniæ Nova tom. 1 pag. 149 ubi Genesij Sepulvedæ & Bartholomæi Albornocij scripta in Episcopum nostrum malè audisse testatur; de gestis ab Hispanis, quæ Noster impetiverat, verba faciens subjungit: *Excusari quoque multa posse rei necessitate atque bellico jure ab Hispanis gesta, quibus crudelitatis reatum atque enormitatis Bartholomæus**

tribuit, aut exaggerata alia in malum, quibus non ipse interfuit, simile vero est, ac notat non semel Bernardus Perez (lege Diaz) del Castillo in Mexicana Historia cap. 7 & 83; & 125 &c. Hactenus ad propositum Nicolaus Epitome autem Bibliothecæ Occidentalis D. Antonij de Leon Pinelo editionis novissimæ Madritanæ col. 566 ad usque 572 Noltri Opera exactè omnia recenset, & postquam initio Paulum Freberum, in Theatro illustrium eruditione vitorum part. 1. sec. 3. fol. 163. Nostrum in invidiam Episcopi laudatorem, de multis manifestè convincit erratis; col. 568 velle aliquos, inquit, Bartholomæo de las Casas Tractatum illum abjudicare, qui hoc hispanè titulo circumfertur: *Brevissima destructionis Indorum relatio*, qui quæ exteris plurimis id circo egregio est in pretio, quòd dedecora Hispanorum complectatur & patefaciat. Huic suffragari placito addit M. F. Joannem Melendez Dominicanum Peruviensem in de *Veris Indiarum Theauris*, & in præfixa his Libris censura Doctorem D. Franciscum Antonium Montalvo, exultimantes, Librum illum ab Gallo profectum Authore, larvâ Episcopi Chiapensis personatum exiisse, atque ut eminentis typis, Lugdunensibus que pro Hispanensibus venditatis, ita etiam pro arbitrio confictis rebus & narrationibus. Adhæc subjungit Pineliana Occidentalis

Bibliotheca, PP. Echard & Quicquid mox dictam impugnantes sententiam loco inferius à nobis signando; id enim verò negare nunquam posse, quod Author scripsit Apologetici adversus Navarretæ fol. 22, scilicet, malè tinctum Chiapensis Antistitis zelum, nigrum coram Universo thea Hispanæ præfixisse Nationi. Cui tamen in Nostrum censura non ita Pinelus adhæret, quin statim imminuat emolliatque illis utus verbis queis Cardinalis Baronius tom. 1. Annalium anno 48 n. 12. pro S. Epiphania usus est: *Ceterum condonandum illi, si (quod & alijs sanctissimis atque eruditissimis viris saepe accidisse reperitur) dum ardentiori studio in hostes invebitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantulum veritatis esse transgressus*. Pro tuendis autem hispanicis Indorum Debellatoribus Pinelus ipse legendum insinuat D. D. Joannem de Solorzano in de Jure Indiarum lib. 2 cap. 19 à n. 22. & D. Gabrielem Daza de Cardenas in Novo ad Historiam Floridæ ab Inca scriptam Proæmio, Dein verò col. 569 memotat D. Bernardum de Vargas Machuca in Apologia pro Indiarum Occidentis Expugnationibus contra Chiapensis de Indiarum destructione Tractatum anno 1552. editum, qui Bernardus Episcopi commentitias esse palam facit enarrationes: quamvis Apologia isthæc, ut Remesalius animad-

vcr-

vertit, publici juris fieri non est permilla. Et hæc quidem quæ ad rhombum in Occidentali Bibliotheca nobis sunt visa. Ad Gallos Criticos Scriptorum Ordinis Prædicatorum Historiographos accedentes, tom. 2. pag. 194. de Opere, quod lapis offensionis fuit estque etiam modò, tractantes: ita illi habent.

Hoc opus ea ætate quidam Hispani ægerimè tulerunt, gentilium suorum scelera revelari impatienter ferentes, nec desunt etiamnum qui supposititium contendunt, & ab auctore Gallo in odium nominis Hispani confictum, ac Lugduni sub eminentis Hispani typis primò editum anno 1552. Sic tuerur Joannes Melendez noster in Historia Provincia Peruanæ, cui titulus: *Theoros Verdaderos*, cui ad stipulatur ejusdem Historia censor Franciscus Antonius Montalvo in approbatione eidem præfixa, idque à Gallo quodam desertore & ad Hispanos transfuga rescitum fuisse. Sed si non aliud illis argumentum quam hujus Galli desertoris testimonium, illud certè futilissimum est. Quis enim ille Gallus, quod ejus nomen, ubi natus, unde didicit? Sed hæc missa facio. Opus in oculis ipsius Bartholomæi de las Casas viventis excussum est, si non ejus, cur mox ut vidit, suum non negavit. Præterea eadem charta eodemque caractere ac alia ejus indubitata Opera editum est. Adde quod Scriptorum Hispani omnes illi asserunt, & ipse in alijs tractatibus eadem habet. Quæ subnectuntur, valde notatu digna quidem habemus.

Aaaa

Nec verò dedecus sibi putent Hispani, talia apud eos monstrata esse, apud quas enim nationes non similia eruperunt hominum portentosa? An erga miseros indos aquiores fuerunt, qui eos è suis ejecerunt sedibus, terras eorum invaserunt, eorum cupiditate moti Lusitani, Angli, Galli, Sueci, ac præ cæteris in occidente & oriente Batavi? Sed immortale est gentis Hispana decus, quod ejus Reges numquam id permiserint, probarint nunquam, imò severissimis legibus prohibuerint, licet non semper audiri: quod ubi scelerati illi Conquistadores avaritia excæcati, Indos bestias non homines, non anima rationali præditos sustinere ausi sunt, Consilia Regia id non respuerint modò, sed & exhorruerint: denique, quod viros apud se sapientissimos habuerint, quales Bartholomæus noster & alij innumeri, qui se Indorum Patronos exhibuerint, gentilium suorum errorem non dissimularint, ac in ordinem omnia tandem aliquando reduci obtinuerint. Jam coronidis loco pollicita à nobis supra Thomæ Boziz fragmenta scribamus oportet: Tom. 1. de Signis Ecclesie Dei lib. 10 cap. 13 hæc habet.

Hinc, ut legimus apud Petrum Martyrem, saepe inter Christophorum Columbum & Bucilum Catelanum, quem Præsulis Ecclesiastici nomine ac potestate Alexander VI Papa ad Indias misit, contentiones honeste exortiebantur, quòd Bacilus nimirum saepe contendeat, ne in gentes illas à nostris aliquomodo sevireretur: belluinis namque factis belluas omnes su-

pe-

perabant. Nam quæ bestia sui generis bestias devorant ut illa mutuo se se comedebant? Quæ bestia filios suos alunt, ut pinguiores & adultiore effecti, sine Parentibus (horrendum dictu) pro cibo? Hæc illa, è quibus cætera discas, agebant. Quo circa, ut aliquis Hispanus fuerit aliquando in illas crudelis, tanta certè quidem immanitas erat illorum populorum, ut ad humana nature studia revocari nullo modo possent, nisi edita fuissent in illos exempla illustrissima suppliciorum atrocissimorum: quæ tamen Episcopi Religiosique nostri cohibuerunt. Non bene igitur quidam Scriptores invehuntur in Hispanos, quod adeo fuerint diri in Indos. Aliquos ex Hispanos fuisse in aliquos Indos haud negandum. Vix tamen erat ut aliter fieri posset. Peccatum est ab aliquo: non totius est Nationis id crimen. Peius actum fuisset nisi Episcopi Religiosique viri intercessissent, qui semper, ubi opus erat, obstiterunt, rem quæ ad Paulum III detulere, quo suam auctoritatem & ipse interponeret. Libro autem 7 ejusdem tomi cap. 4 ubi Mexicanorum dedecora Idololarrarum retulerat, eorundem christianos mores ab Hispanis imbibitos laudans scribit: At nunc Populi omnes ad Christi cultum iraducti superant vel æquant propè Europæos cunctis humanitatis ac Religionis officijs, ut ex ipsis qui diu per illas Regiones vagati sunt, Romæ audivi, & usu percepì, cum noverim nonnullos ex ijs oriundos & indigenas, eorumque confessiones in Urbe audiverim. Tan-

dem, ne multi simus, Lectores ad eisdem remittentes caput 1. lib. 8 paucula hæc delibamus. Tertium sit illud (scilicet Hispanorum decus) Nulla unquam gens, ex quo Adamus habuit liberos, tot Nationes moribus ac ritibus dissimiles ad unius Religionis cultum, vel earundem legum studium perduxit, ut Hispana. Vix enim quisquam possit enumerare gentium varietatem, mores quæ illarum prorsus inter se dissidentes, quas Hispani sub Imperium suum miserunt, & ad Christi venerationem perduxerunt uniusque Dei cultum. Sunt in promptu Historie: legat qui vult. Sed de his hæcenus. Reliquum est, ut Nostri scripta in sillabum redigamus. Atque ut Mss postmodum referenda scrvemus, ab editis exordiamur. Hispano sermone dedit

Tractatum comprobatorum summi quod in Indias habent Imperij & communis principatus Reges Castellæ & Legionis. Hispali, Gothico caractere Sebastiani Truxillo 1552 in quarto, pp. 160. quæ scriptio ab eo crimine liberavit apud Consilium Regium, de quo accusatus fuerat ab Indiarum aliquibus domitoribus, perinde quasi Catholicis in Americam Regis abnueret Imperio.

Hispano item sermone extat Disputatio & controversia Episcopum inter & Doctorem Genesium de Sepulveda, contendente hoc Indiarum adversus indigenas debellationes licitas esse; illo autem è regione propugnante affirmanteque, fuisse,

se, nec aliter esse posse, illicitas, tyrannidas, injustitias & iniquitatis labes sordentes; Quæ habita est dissertatio coram doctis pluribus Theologia peritis & Juris, in Congregatione Regio Caroli V jussu intra Vallisoleti anno 1542. pp. 112. Quod autem Apologia ista pro Indis longior visa sit & diffusior, ut in compendium redigeretur operâ egregij Theologi M. Dominici Soto, qui unus erat ex assidentibus in eo cætu, Consilij nutu decretum est. In Summam ubi redacta fuerat, & ad duodecim capita revocata, totidem objectiones Genesius opposuit, quæ uti tempestivè responderet Episcopus, secundam Opusculi partem adiecit hoc titulo.

Rescripta repositaque ab Episcopo adversus responsa à Doctore Sepulveda duodecim parata objectionibus in Summarium Apologiae suæ collimantibus. Opusculum hoc unâ eam præcedenti, cætu prima secundaque pars, habetur pp. 112 & quidem Hispali, formis Sebastiani Truxillo 1552 in quarto. Item Barchinone, litteris Antonij la Cavalleria 1646 in quarto. Utriusque memoria editionis habetur apud Scriptores Ordinis Prædicatorum pag. 193. itemque Italicae Versiones per columnas Italica ad Hispanam è regione in eadem pag. respondente, studio Marci Gimnani, & ipsius typis, Venetijs 1645 in quarto, pp. 184. Dissidij porrò hujus finis tam è voto Nostri

succesit, ut inde Leges in favorem Indorum latæ, quas superius memoravimus, emanaverint, Antagonistæ Libris suppressis.

Vernaculo item sermone prodijt Tractatus alter hoc titulo.

Positiones triginta admodum juridica, in quibus summarie & breviter multa tanguntur jus attinentia, quo Ecclesia & Christiani Principes gaudent aut frui possunt in Infideles, cujus illi cümque sint speciei: In primis autem verum assignatur & validissimum fundamentum, cui Regum Castellæ & Legionis summum in Orbem novum Imperium nititur, quo in Occidentalibus Indijs Domini constituti sunt communes, & Imperatores in multos Reges. pp. 20. Extat in utraq; editione.

Latino sermone habetur Tractatus hoc titulo.

Principia quadam ex quibus procedendum est in disputatione ad manifestandam & defendendam justitiam Indorum. pp. 20 primæ editionis, in qua sola legitur, ut Galli Critici scribunt; Pinelus autem col. 769 alias adjicit editiones anni 1607. in quarto.

Rursus materna lingua edit

Brevissimam destructionis Indiarum relationem.

Cui adiecit fragmentum alterius à quodam scriptore relationis his Indorum debellationibus quondam interuenti. Præter memoratas Hispanas editiones, plures sunt aliæ ejusdem operis in multas Europæ linguas conversi.

Scilicet hoc latine titulo: *Narratio Regionum Indicarum per Hispanos quondam devastatarum verissima. Hispanicè conscripta, post alibi Latine excussa, jam vero denuo iconibus illustrata*, prodijt Oppenhitonij curis, & sumptibus Joannis Theodori de Bry, typis Hieronymi Galleri 1614 in quatto. Postea Heidelbergæ cum iisdem iconibus typis Guillermi Uvalteri 1664 in quatto. Præter has editiones apud Scriptores Ordinis Prædicatorum legendas, aliam vidimus apud Avarea in Orbe Terrarum &c. verbo *India*, nempe Francof 1598 in quatto, aliamque Latino Hispanam. Ibidem 1690 in quatto.

Italicas Versiones iisdem Critici Galli, Nicolaus Antonius, Avarea alijsque afferunt: Venetiarum 1626 in quatto, & iterum ibidem Marci Ginammi 1630 & rursus ibidem Hispanicis & Italicis columnis hinc inde pro utrâque dispositis linguâ, Ginammi 1643 in quatto pp. 150.

Gallicæ autem Versionis Jacobi Bigroddi editio est Antuerpiensis Francisci Raphelengij 1579 in octavo, testibus Avarea, Nicolao, & citatis Gallis, addentibus alteram anni 1582. Pinelus verò Editiones recenset alias nempe anni 1598 & 1645. in quatto, & 1648. tomis duobus in 12. Subdit insuper Bellegardum item Historiam hanc gallicam fecisse, teste Dupin in tabula Authorum Ecclesiasticorum, edidisseq. 1597.

Germanicam Translationem anni 1597 in quarto citati afferunt Galli.

Tractatus Regij Indiarum Consilij mandato scriptus super negotio Indorum, qui in servitutum in Castellanis abrepti fuerant pp. 71 habeturque in ambabus editionibus Hispanicis. Item Italicè & Hispanicè, ut supra Venetijs, typis Ginammi 1657 in quarto pp. 96 hoc titulo: *Supplice schiavo Indiano di M. Bartholomeo de las Casas, &c.* Quamvis enim D. Nicolaus Antonius in ambiguo fuerit, an sub hoc Italico titulo alterius Venetæ editionis ejusdem Ginammi de anno 1636. lateret is, quem narramus, Tractatus, an alter statim à nobis huic subnectendus; dubium substulere Critici Galli Dominicani, collatione factâ inveniunt Versionem Italicam non sequenti, sed præfenti aptatam Opusculo fuisse.

Remedia inter, quæ Episcopus, jussu Imperatoris ac Regis nostri, protulit in Congregationibus, quas habere Rex ipse mandavit, Prælatorum & Litterarum, Personarum quæ illustrium Pincia anno 1542 corrigendis Indiarum rebus, octavum ordine est quod sequitur. In quo viginti designantur rationes, quibus probat Episcopus, Indos Hispanis fiduciarum in clientelam committendos non esse, nec in Fendum, aut alio nomine pp. 112. juxta utramque editionem Hispanam, cui citati Galli Latinam subnectunt, itemque Italicam simul & Hispanicam hoc titu-

titulo: *La libertà pretesa dal supplice schiavo Indiano, &c.* Venetijs, typis Ginammi 1645. in quarto, pp. 184. Hisce Nostri fundamentis satisfecisse D. Antonium de Leon Pinelo in lib. de Confirmationibus Regijs part. 1. capp. 18. 19. 20. ipse Author est col. 567. editionis novissimæ Epitomes Bibliothecæ suæ Occidentalis alias istius Operis Chiapensis Episcopi editiones subiungens, nimirum Gallicè reddidit 1678 in 4. rursusque Jacobi Kilingeri operâ 1623. 1625. in quarto.

Quadam monita & regula pro Sacerdotibus Confessiones excipientibus Hispanorum, quorum cura Indi Indiarum oceani maris traditi fuerint. pp. 32 primæ editionis, nam in secunda tractatulus iste, simul que sequens desideratur. *Additio ad primam & quintam regulas.*

Romano sermone extat conditus Tractatus. cui titulus: *Erudita & elegans explicatio questionis utrum Reges vel Principes jure aliquo vel titulo & salvâ conscientia eives ac subditos à Regia Corona alienare, & alterius Domini particularis ditioni subicere possint: antehac nunquam ab ullo Doctorum tractatulo tractata.* Edita quondam cura & studio Wolfgangi Griesstezeri, nunc verò multo correptius recussa curante Jacobo Killingeri juris consulto Tubingæ Wildij 1625. in quarto pp. 47. Quam editionem haberi Romæ in Barberi. & Paris. apud Dominicanos ad S. Ho-

norati testes sunt iisdem Galli, qui & alteram dicunt laudari Romæ in Imperiali, Jenæ Joannis Golleneri 1678 in quarto.

Sedecim contra pestem remedia, quæ tunc inchoabat, & nimia serpens festinatione Indias destructum ibat. Octavum typis Authorem dedisse Opusculum hoc Hispani 1552 citati Galli Critici testes sunt folio 195. n. 23, ut propterea miremur, non inter edita recensentur ab ipsis, sed admixtum Catalogo ineditorum Operum.

Indiarum detectio Occidentalium, Italicè edita & Hispano sermone 1630 in quarto, itemque Galligo donatâ 1697 in 12 pro extate in Casanarensi Ord. Præd. in Additionibus & Omissionibus ad eisdem Ord. Scriptores leges pag. 825 tom. 2. Atque editorum hic finis esto.

Ad Mss. venientibus occurrunt nobis innumera minutiora, nempe *Libelli supplices, testimonia, narrationes, consulta & alia*, quæ omnia Regio jussu ab defuncti Museo Episcopi, Pincia Matritum translata fuerit, & in Tabularium supremi Indiarum Consilij assevantur, ut Remesalius scripsit, vel in Escoriali, ut Nicolao Antonio propius verò fuit visum. Majoris Opera moliminis sunt quæ subdimis Hispano sermone conscripta.

Historia apologetica summaria quæ de qualitatibus ac dispositionibus calis & soli Ragionum harum, genio, politica, indole, Rebus publicis

moribusque, quibus gentes sunt iste Indiarum occidentis plaga & meridionalis, quorum summum Imperium attingit ad Reges Castella. Magno volumine folijs 830 minutissimo scriptis caractere & sine marginibus Opus hoc constat, atque ut testis est Remesalium Iectioni ejus incumbens, eruditissimum, proque Indis tuendis elucubratum, quibus se suaque regendi aptitudo periniquè negabatur à multis. Addit volumen hoc de Bibliotheca Dominicanorum Vallisolerana sublatum, sed tamen sperare se, restituendum.

Generalis Indiarum Historia, tomis tribus comprehensa in folio, & quibus priores duos vidisse se Remesalium affirmat, primum folijs 668 constantem, narrationes que ad annum 1502 perducunt, secundum verò eas ad usque 1510 continuantem folijs 197. Porro dubium non est Historiam hanc cæteris, quæ prodierant, longis intervallis præstare, quod & plurima à se visa Bartholomæus diligentissimus scrutatur rerum scripserit de regionibus istis, quas totos quadraginta annos incoluerat & perlustrarat, insuperque ad manus haberit Christophori Columbi adversaria, initio detecti Novi Orbis gestis apertendis non utilia modò sed necessaria, ut propterea quam diximus laudem Operi huic Remesalium jure tribuerit, cujus majorem partem in suam Historiam celebratissimus Chronographus Anto-

nus de Herrera contulerit. Nec prætermittendum existimavimus, quod eundem sequuti Remesalium Galli Critici tradiderunt, Episcopum scilicet Historiam hanc annò 1527 incæpisse, cui finem impofuerit anno 1559, dederitq; in mandatis, ne ante quadraginta annos typis excuderetur.

Hujus Historiæ tomos duos Septimanæ in Regijs tabularijs inveniri testis est de visu Pinelus qui annò 1626 eò se contulisse supremi Indiarum Consilij jussione pro eisdem inquitendis affirmat. Addit, tribus tomis existisse in Bibliotheca Comitum de Villa-Umbrosa Opus hoc; cujus tomi duo (transcripti, ut pronum est conjectare) quondam in Bibliotheca fuisse Jacobi Kricij Abstelodamensis, ex ejusdem Catalogo Bibliothecæ eruitur, forte que tertium volumen est, quod in eodem sillabo legitur paulo mutato titulo, pro ut etiam diversum præferunt duo primi tomi, quibus nomen Chiapensis Episcopi Casaus præfixum est. Ad hanc Historiam revocandi videntur ceu ejusdem fragmenta

Chronici Indiarum quondam in memorata Comitum de Villa-Umbrosa Mss asservati, ut tradit Pinelus col 570.

Latino sermone conscripsit: *De cura à Regibus Hispaniarum habenda circa Orbem Indiarum, & de unico vocationis modo omnium gentium ad veram Religionem* fol 63. Opusculi hujusce transcriptionibus

bus propagati quatuor exempla adduxit Remesalium, quorù unum Pinelæ in Collegio S. Gregorij stare, alterum in Hispania Nova, tertium in Provincia Goatemalensi apud Parochum de Mazaltenango, quartum penes se habere, cujus in Historia Provinciæ Chiapensis fragmenta dat. Utrum autem exemplum quod secundo loco indicat esse in Hispania Nova tacitâ Bibliothecâ vel Tabulario, idem sit quod à PP. Dominicanis Goaxacensibus asservatur in Bibliotheca Conventus magni ejusdem Provinciæ, in medio relinquimus. Id nobis est exploratum, extare ibi tomum in folio bono caractere descriptum hoc titulo: *Quintum capitulum lib. 1. cui titulus est: De unico vocationis modo omnium gentium ad veram Religionem F. Bartholomæi à Casaus Ord. Præd. Episcopi quondam Civitatis Regalis de Chiapa*. Caput hoc complectitur 36 §§ admodum diffusos. Continuo adjungitur caput sextum §§ 8 conclusum, septimumque, quod §§ 6 absolvitur. Certe negotium nobis facessit, difficileque videretur, Codicem hunc manu exaratum exemplar esse Libri, de quo nobis est sermo, propterea quod iste fol 63 constat; tria verò que retulimus capita §§ 30, quorum 36 saltem latissimi sunt præferant, subindeque & ipsa tria capita, & que reliqua sunt fol 63 capi nisi minutissimo caractere non possunt.

De Servitute Indorum secundæ acquisitionis de Xalisco diætæ fol 272.

De promulgatione Evangelij, Latino & vulgari sermone.

De juvandis & fovendis Indis, sermone Latino, quod grandis molis Opus appellat Illmùs Davila Padilla, fol mille constans, nam totidem numeros putabis, si viginti chartarum scapos seu fasciculos philiarum recenscas. Mexici asservari apud PP. Dominicanos idem est Author, redditum que latine à F. Dominico de Anunciacione, qui illud à Sodalibus Chiapensibus commodatum acceperat.

Latino item idiomate *de thesauris in sepulchris Indorum latentibus*, fol 192.

Hispanice *Summarium eorum qua Doctor Sepulveda contra Indos scripsit*, fol 94.

Eadem dialecto, *Duodecim Codices Disputationum ab Episcopo Chiapensi cum Dariensi Aristite, & Doctore Sepulveda habitarum*, fol 184.

Latine: *De Juridico & Christiano ingressu & progressu Regum Hispanorum in Regno Indiarum* fol 61.

Hispanice *Confessionario* fol 32. Quod opusculum non aliud videri à recensito inter edita n 9 rectè monent Critici Galli.

Testamentum & Codicillus duos esse hos libellos ab Episcopo paulo antè suum obitum Philippo II traditos, idem cum alijs Doctores animadvertunt, laudarique

ab Emmanuele Roderico QQ. Regularium tom. 2. q. 29. art. 4.

His adjicimus *Librum in quatuor varia Noltri Opuscula continenter* caractere descriptum P. F. Joannis de Cordova, Provincia- lis Dominicanorum Novæ Hispaniæ priusquam illustris Familia sua in terras ordinatæ Provincias abiret. Extat in Bibliotheca Goaxacensis Conventus magni Ordinis ejusdem, opina- murque transcriptionem esse aliquorum ex his qui numerari manent Tractatum.

Vernaculo idiomate *Epistola ad M. F. Bartholomæum de Carranza & Miranda de dubijs circa Indorum libertatem occurrentibus*, quæ Mss erat in Bibliotheca Comitum de Villa-Umbrosa uti ex Pardo in suo Catalogo fol. 167 scribit Pincelus.

Tandem, Romana Lingua conscriptum à Noltro *Dialogum De in Indias jure*, interlocutoribus Seniore & Juvenio apud Pincelum ipsum col. 572. nobis occurrit.

Jam, ut sub unum omnes, quos legere potuimus Scriptores Noltri acta vel scripta laudantes, aspectum demus, sunt illi quidem Remesalio omnium diligentissime & fustissime in Historia Provincia de Chiapa & Goatemala à cap. 10 Lib. 2 Davila Padilla in Historia Provincia S. Jacobi à cap. 27 ad usque finem Libri primi. Agydus Gonzalez Davila in Theatro Eccle-

siæ de Chiapa fol. 190 D. Nicolaus Antonius in Bibliothecâ Hispaniæ Novæ tom. 1. à pag. 149 PP. Echard & Quetif in Scriptoribus Ord. Præd. à pag. 192 D. Antonius de Leon Pincelo in Epitome Bibliothecæ Occidentalis Editionis novissima à col. 566 Fernandez Dominicanus, in Historia Ecclesiæ nostri temporis cap. 7. Dominicus item Lopez p. 4. lib. 2 cap. 16. Pius p. 4. col. 172. Fontana in Theat. & Monum. Altamura ad annum 1555. Torquemada in Monarchia Indica tom. 3 pag. 42 & alibi ejusdem tomi editionis Madridana 1723. D. Joannes de Sorlzano de Jure Indiarum lib. 2 cap. 1. n. 27. Franciscus Lopez de Gomara in Historia Peruvij cap. 77. Ayarea in Orbe Terrarum Scriptorum calamo delineato, art. supra indicato. Cabrera in Gentilitijs Stemmatis Mexicanis, seu de SS. Deiparentis Guadalupia Imagine n. marg. 432. M. F. Joannes de Segura Troncoso in Seneca de Mercede à num. 435 usque ad 439 inclusivè Noltrum à criminatione defendens in ipsum scripta ab eloquentissimo Chronographo D. Antonio de Solis.

537 P. BARTHOLOMÆUS DE LAS CASAS, Natione, nisi fallimur, Mexicanus, Patria nobis incerta, Societatis JESU in Provincia Novæ Hispaniæ alumnus, publicusque Philosophiæ Professor ad Maximum SS. AA. Petri & Pauli

Pauli Mexicicum Lyceum trienio Aristotelis Libros ejusdem Facultatis interpretaturus, traditurusque auditoribus suis, Cursum exaravit, cujus primum volumen in quarto habetur in Bibliotheca Collegij Tridentini Seminarij Mexicci hoc titulo *Disputationes Summularum & Logica magna dictata à P. Bartholomæo de las Casas Societatis Jesu ab anno Domini 1640 usque ad 1641.*

Quæ restant pro integrandâ Philosophiâ clucubrationes, quò sunt in scrinio nos latet, sicut & viri scripta alia & acta.

538 P. BARTHOLOMÆUS CASTAÑO, Natione Lusitanus, apud Scalabim notissimam Portugaliæ Villam ortus, Mantuæ Carpentanorù degens anno 1623 ætatis 21. quo tempore P. Ferdinandus de Villafanc Societatis JESU in Provinciam Novæ Hispaniæ ejusdem Ordinis Sodales supplementi gratiâ mittendos cõquirebat, hos inter navigaturus, prophanus licet adhuc, admissus fuit, non semel à Deo ut sibi diligentissime inserviret, nec irritò auxilio vocatus. Inscensâ nave, orationi, lectioni, pijsque alijs operibus deditus, Religiosis secularibus erat exemplo, quibus aggregari discipiens, voti compos effectus, Amalucæ cooptatus tyronibus, reliqua probationis tempora Mexicana in Provincia exegit, in qua ita etiam studijs incubuit, ut non sine plausu frequentarit Gymnasia, alcæmque

Minervæ subierit. His absolutis, jamque Sacerdotio initiatus, atq; ab spiritus fervore conspicuus, Angelopolim pro tertia, ut dicitur, probatione dimissus, statim eximij animarum zeli specimen dare cepit, habitis in Foro, singulis ferijs quintis, ut usus ferebat, concionibus ferventissimis coram Populi frequentissimâ multitudine ad Aediculam sacram concutente. Nec verò hominibus duntaxat è trivio vulgique plebecula acceptus, sed gravibus doctrinâ viris & munere è Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, nunquam non ipsum dicentem excipientibus & laudantibus. Tantos potro inde fructus collegit, ut plurimi, antea vitij sedidissimi, expiari totius vitæ exomologesi curaverint, atque in Numinis amicitiam & gratiam redire.

539 Non ita pridem Cinalog gentiles in Ecclesiæ sinum Catholicæ recipi occupaverant à PP. Societatis JESU barbariem deducti & superstitionem, sacrisque ac politicis instituti, atque Nolter eo ut se conferret, Apostolico muneri vacaturus, Superioribus arripit, quæ ipse ex animo paruit. Decennium, iniquas, sole tostas, & mille scatenates periculis plagas excoluit, non his tantum corporis divexatus incommodis, sed animi etiam afflictiones perpeffus, quæis charissimum sibi hominem Deus arctius devincire, & ad ulteriora provehere amabat. Ille, Hærese, adeo erat per-

fectionis religiosa avidus, ut ne apicem quidem pratermisserit, his quoque minutis intentus, quas ferventiores novitij usu tenere solent. Apud Saguaripam, & Sigibatanes primam substitit, mox Sonora, quam ipse condidit Missionem, se contulit, nullo prapeditus timore impendentium malorum incerti sibi ac soli barbaros ingredientis, Ministrum licet Evangelij ultro & instanter exoptulantes. Eos ut lucrifaceret Christo, nullum non movit lapidem, & felici successu saxa demum corda emollivit. Quod enim musicis illi numeris delectati, libentissimè addiderent motam ab ipso citatam haud ineleganter, vel quod illud cumque instrumentum fuerit, ea usus opportunè occasione parvulos apud se bona cum genitorum venia retinendi, eis se ad tempus non inviti abdicantium ut movere fides condiscerent, unam imò verò Catholicam Fidem in primis ab Apostolico hauriebant fidicine, nisi dixeris, Orpheo & Amphione, qui & humanas nervorum concentibus feras mansuefecerit, & Thebis sublimiorem Urbem firmioraque longè mœnia construxerit.

540 Nam hac usus arte, primo statim anno inita Missionis Sonorensis duo millia salutaribus aquis intinxerat, quibus ter quaterve millia grandiorum ætate virorum & foeminarum brevi itidem junxit & parenti Ecclesiæ

multa in dies incrementa ibidem locorum capienti. Nec mirum, quandoquidem Apostolum imitandum sibi propositum, omnibus omnia factus, adeo referebat exactè, uti lingua, quam penitissimè calluerat gentilium, cæterisque ipsorum ita usibus æconomicis & politicis (rectius nuncupaveris Barbaris) adaptaret se, facile ut Indi crederent fides quoque ipsum genitoribus editum, fermeque lubiade haberent despectui, ni Missionum Visitator ab hac illos opinione avertisset, eximio Bartholomæum honore coram eorum catu coonestans. Multa porro apud Sonorenses cæterosque, quibus præfectus fuerat, peregit, Ecclesijs christiano ædificatis ritu & instructis, ethnicisque nuper hominibus ad Dei cultum & pietatem formatis. Nonnunquam viginti integra nocte leucas confecit baptizandi ergo parvulum morti proximum; tandiuque pedes difficillimis & vastissimis perlustrandis institit locis, donec secus in mandatis accepit.

541 Adhæc, propitio sibi Deo, discrimina vitæ præsentissima effugit, miraque paravit. Nam jubentibus Superioribus, Pagos ingressus gentilium Indorum, ut plures ipsis immixtos Christianos parvulos contaminandi se idolis majorum & superstitionibus periculo eximeret, Paganorum id circo exceptus fuit plausu, quod graviter ægrotantes ip-

forum plures lavacro salutari perfuderit, juxtaque sanitati ad unum omnes procinus restituerit. Quandoque comitatus Sodali, Indum plusquam centenarium, prope que vitæ finem invenit, ejus cum intimos animi perferutatus esset recessus, liquido constitit, ætatem sic duxisse longævam, ut naturalis juris præscripta ad unguem servasset: tum enim verò christianis, ut par erat, edoctum, Socijque manibus baptizatum, paulo post mortuum Indum, plaudentibus, ut remur, Superis, cœlum exepit.

542 Tanta licet ageret inibi locorum pro Dei gloria & salute animarum, Deo tamen ipsum inde evocanti, atque ut se Mexici sisteret, Superioribus annuentibus, indicenti, illicò obtemperavit. Erat sanè in divinis decretis ut deinceps Apostolica apud Mexicanos munia subiret, residuamque vitam perageret. Sodalitio, quod à Salvatore nuncupatur in Domo Professa, est que antiquitate & multis nominibus celebre, Præfectus datus, totos 26 annos invigilavit, Sodalium eximio profectu, ad quos cæteramque confertissimam multitudinem singulis dominicis diebus è superiori loco dicebat, promptumque se & facilem singulis, pro confessionibus, consultationibus, & omni christianam institutione præbebat. Adhæc catheticas multo tempore, quinta cujusque hebdomæ feria,

concionones sui esse voluit muneris, quas multo conditas studio Theologicæ Summæ & aliorum, quæ ad Scholasticam attinent & Dogmaticam, Operum S. Thomæ Doctoris Angelici, auditoribus offerebat. Pro rudiori verò plebecula brevissimum in unico folio Carthechismum conscripsit, Mexicanis sapius typis recussum. Insuper exempla, quæ incunte nocte, quadragenarij jejuni tempore, enarrari coram multo virorum cœtu ferventi ad mores exhortatione conjuncta, solent in Ecclesia Domus Professæ, egressio succellu, demandata sibi habuit. Tandemque sermonibus benè multis passim, ut ferebant res, christianam confectis & virili eloquentiâ, auditores cohortatus, mirum est quot fructus retulerit.

543 Erat quidem acuto & prænobili ingenio, multaque dives eruditione, qua tamen oportune in domesticis ad Sodalitios suos concionibus uteretur, in cæteris ad populum abstinens, sic agebat, ut vitia evelleret, auditores compungeret, atque ad poenitentiam capessendam, & amplexandam virtutem sollicitaret. In hunc omnia Rhetoricæ ornamenta, quibus instructissimus erat, vigorem dicendi insutum, & graviora quæque permovendis animis, scopum ut destinabat, è voto illi & sententia salutem animarum opranti eveniebat. Quod tamen vehementiori non nunquam zelo correptus, liberius lo-

qui visus fuerit, imò audacius in vchi & insectari, quærimonia est passus multas, & acerrimas à Superioribus oburgationes, quas ipse patientissimè toleravit, nulla nominis & æstimationis jacturâ, Apostolicus vir etiamnum audiens, & ab egregijs virtutibus semper multi habitus.

544 Et verò diligentissime illas excoluit, Fidem in primis, cujus propagandæ gratiâ durissima pertulit, grandiaque patravir, Religioni inde peræque intentus, cujus argumentum est *Tractatus de methodo Sacras Imagines percolendi*, inferius inter ejus scripta censendus. Spem quòd attinget, tanta erat fiducia, uti Deo lubnixus, ardua quæque aggredi neutiquam vereretur, opemque ejus & auxilium præsens haberet. Porro Charitatem ut deperiret dictu est difficile, conjici que ex his potest, quæ fecit, omnibus hæctenus anarratis, quibus accedunt quæ præterimus reliqua, quæque dicemus: Opusculum etiam quod de Charitate concinnavit, itemque aliud de Contritione, Lectorum ob oculos has, quibus exarserat, flammam aperiant. Adeo quidem hæc publicis in concionibus pertractans ardebat, ut non semel abrumpere captam orationem, aliòque tendere opus sibi fuerit dicenti. Eam obrem, nulla præteribat charitatis officia, Sanctionialibus dum se perfectionis exhibebat atque Magistrum, ductis ad po-

streum supplicium hortator aderat & adjutor, egentibus elemosynas, ut ut potis erat vir pauperum, erogabat, totusque in juvandis propter. Dum proximis erat, atque ut obviam iret scandalis mali dæmonis suavis in festis solennioribus occurrentibus, quæ, nocte Servatoris nostri devota natali, debachationibus per Urbem insanis hominibus, bene moratis offensionem noverat esse, industriè compescuit, invitatis hortatisque elementarijs pueris, dantibusque operam Grammaticæ, ut in suis quisque adibus curarent, Iconem Virginiam ad fenestram, collucentibus luminibus, palam exponi, rogatoque Archiepiscopo Mexicano, ut suis in hunc propositum Edictis concurreret, cui libentissimè Præsul annuit rogatus. Et ceterè voti compes effectus fuit, Purissimâ Deiparente ei obtemperante, qui totum se marianis obsequijs & cultui dederat, erga immaculatam Conceptionem in primis, Præsentationemque eximiam religione conspicuus.

545 Paupertatem, obedientiam, castitatem, patientiam, ceterasque virtutes egregie adamavit & coluit, quas ad extremum diem usque duxit. Bimestri, qui hunc præcessit, peracerbis doloribus patientissimè toleratis, ad æternam gloriam se comparabat, bis in die sacrâ animum confessione amplius & amplius expians, quem tamen ad labijs expertum

Sacerdos noverat, cui eo ipso anno, totius, quam in Societate duxerat, vitæ, hoc est, annorum quinquaginta rationem sub Sacramenti sigillo dederat, ut nullius læthalis culpæ reus haberetur, imò nec venialis quidem deliberato admixta consilio. Tantâ illum Deus gratiâ munierat, cui alia eidem charismata egregia contulerat. Denique, præclaris virtutum exemplis editis, Sanctissimi Jesu-Christi Corporis Viatico refectus, extremoque unctus Oleo, animam Deo reddidit die 21 Decembris anno 1672. Statim ut obitus ejus innotuit, homines certatim confluebant, Sancti, quem dicebant, & Apostolici viri cadaver veneraturi, quod sequenti die, multis ex utroque Clero Populoque Mexico viris gravissimis comitantibus funus, elatum fuit celebri pompâ, Religiosis Sancti Augustini PP. eam curantibus, qui ultro se agendo funeri Ecclesiastico ritu obtulerant.

Vitam ejus conscripsit P. Thomas de Escalante, Doctissimus Societatis ejusdem Theologus, ediditque Mexici, typis Joannis de Ribera 1679. in quarto. Nostri porro scripta sunt hispano sermone.

Tractatus de virtute charitatis, quem ipse Escalante Vitæ inferuit Nostri à fol. 27.

Tractatus de Actu contritionis, editus similiter à fol. 37. col. 2. ejusdem Vitæ.

Methodus pro sanctarum Imaginum religione & usu, cujus specimen dedit ibidem Escalante à fol. 23. col. 2. Opusculi dicti.

Epistolarum Libri tres, quarum aliquas sparsim in Vita præcitata opportunè transcriptas invenies, fol. que 9. col. 1. leges tres hos Libros apud Monasterium Mexicæum Sanctimonialium ab Incarnatione repertos, unde in Thomæ manus venire, singulas autem spiritum concernere, & ne quidem unam, quæ in hunc non collimet scopum, inveniri.

Aliquot acta Nostri apud Cinasas dedit P. Andreas Perez de Ribas in Triumphis Fidei lib. 6. cap. 18. Ejus brevè ac succulentum elogium texuit P. Julianus Gutierrez Davila Congregationis Oratorij in ejusdem Historicis Monumentis part. 1. n. marg. 99. Demum, extat memoria in Menologio edito à P. Oviedo ad diem 21. Decembris.

546 D. BARTHOLOMÆUS FERNANDEZ TALLÓN, Natione Mexicanus & Patria, florido vir ingenio, quos ab Tempore nostra, hoc est, à Mexico solo retulit flores, ut in fructus maturarescerent, humana documento esse pulchritudini studens, Poëma hispanis amœnissimis numeris vernanis collegit, quod Censor ejus P. Mathias de Bocanegra Societatis JESU, Poëticæ non minus quam Theologiæ cultor, multis effert, cuique titulum dedit Aauthor.